



I N J.

§. 1.



Um hæc materia seipsam satis tùm in usu contra adversarium, tùm in exercitio piæ mentis commendet, missis nos ambagibus Caput rei potissimum aggrediemur. Ut igitur ad verum ac genuinum controversiæ statum *de existentia propositæ materie* perveniamus, *premittenda sunt nonnulla & evolvenda*, ea scil. quæ in ipso titulo seu inscriptione sese offerunt. Et quidem

§. 2. I. Quid per *Remissionem peccatorum* intelligatur. Ea enim fundamenti loco supponitur. *De existentia* quidem Remissionis peccatorum supervacaneum ducimus aliquid afferre, siquidem in *Symbolo suo Apostolico* quilibet Christianus hunc Articulum profiteri tenetur: *cujus tanta necessitas est, ut non sine causa Augustinus de eo Enchir. ad Laurent. cap. 64. scripserit: per hanc (remissionem) stat Ecclesia, quæ in terris est, per hanc non perit, quod perierat & inventum est.* *Qualis verò ista sit remissio peccatorum, divortium* deprehenditur. Aliter de ea loquuntur *Orthodoxi* ex sacra Scriptura; aliter *Heterodoxi* præter & contra sacram Scripturam. Quapropter hoc loco venit sub considerationem:

§. 3. Non (I) *Photinianorum non-reputatio*. Nota: *non-reputatio*, non idem est ac *non-imputatio*. Sicut aliud est *imputatio*, aliud *reputatio*. *Non-reputare peccatum*, est, non habere aliquid pro peccato, quantumvis ut peccatum respici possit, cum tale naturâ suâ sit & pro merito puniri debeat; attamen quia sic placet Deo, non ut peccatum illud habere velle, esse potest non-peccatum. Sed *non-imputare peccatum*, est, agnoscere quidem rei fœditatem, sed